



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viator Christianvs Recta Ac Regia in coelum Via tendens

Soliloquium Animae. Vallis Liliorum. De Tribus Tabernaculis. Gemitus & suspiria animæ pœnitentis, seu de Vera Compunctione Cordis. Cohortatio ad Spiritualem profectum

Thomas <von Kempen>

Coloniae Agrippinae, 1682

Cap. I. De varia Probatione Electorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53320)

LECTORI.

In his tribus tabernaculis, castra tenent tres militares virtutes. In primo Paupertas, in secundo Humilitas, in tertio Patientia de quibus tria sunt Capita.

De Tabernaculo Paupertatis.

CAPUT I.

De varia probatione Electorum.

S. E St scriptum in Propheta: Patientia pauperum non peribit in finem. Magna est, Domine Deus meus, patientia servorum tuorum. Et hæc est victoria eorum, qui cuncta superant adversa in hoc mundo. Dixisti enim: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Psal. 9. Luca 21.

Tu multipliciter nos probas et undique tribulationibus nos circumcingis, nunc foris, nunc intus, nunc apertis, nunc occultis nos examinas tentationibus: ita ut in nobis nihil sit, quod Varie probat nos Deus: Vv 3 per

per tentationis ignem non transeat.

Vis nos in omnibus tentare, in multis angustiare: ut in omnibus probati, & ex multis miseriis liberati, gratias multas tuæ referamus misericordiæ & bonitati.

**Idque
nobis u-
tile.**

Hoc placitum est, visumque bonum in conspectu tuo, & utile ad profectum nostrum. Si tu Domine Deus noster pro nobis, quis contra nos?

Psal. 22.

Sequar ergo te Domine, quocumque ieris, dummodo mihi dux in via tu fueris. Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Confitebor tamen adversum me injustitiam meam Domino, & infirma mea non abscondam: si fortè à bono medico, consolationis fomenta percipiam.

2. Vide Domine paupertatem & infirmitatem meam, attende quæ dico, tibi enim revelavi causam meam.

**Etsi nos
pacem &
quietem
malimus.**

En desidero requiem, & tu iungis mihi laborem. Anheo ad sublimia, tu autem proponis humilia. quero deliciarum copiam,

sed tu suades paupertatis ino-
piam.

Estne, Domine Deus meus
istud consilium & verbum tuum?

D. Utique?

S. Et quomodo coarctor, ut
perficiatur in me?

D. Dilige me, & non angu-
stiaberis in te. Facile est in igne
charitatis consumi omnem an-
gustiam paupertatis.

Dulce est amanti compaupe-
rari filio Dei. Leve est omne o-
nus, quod charitas tolerare ju-
bet. Nec erit cuiquam labor du-
rus, qui charitatis pane fuerit
confortatus.

Dura
pauper-
tas, sed
levem fa-
cit chari-
tas.

S. Bene locutus es Domine,
fiat quæso sicut dixisti. Qui de-
disti consilium, fer & auxilium.
Efficiatur totum suave, quic-
quid videtur carni grave; & onus
leve, quod jam ante videbatur
importabile.

Exultet caro mea in Deo vi-
vo, & spiritus meus in Deo salu-
tari suo. *Quàm bonus Israel Psal. 17.*
Deus his, qui recto sunt corde!

Diligam te Domine virtus Item
mea, firmamentum meum, & re. Christi

auxilium
& exem-
plum.

gium meum. Diligam etiam sanctam Paupertatem, Humilitatem & Patientiam, sequendo viam tuam & Sanctorum tuorum.

Habebo a modo Paupertatem pro divitis, Humilitatem pro gloria, Patientiam pro requie.

Ioan. 6,

Sit mihi de his cura, & placeant quaecunque spiritus requirit, quia *caro non prodest quicquam.*

Delecter in his sicut in omnibus divitiis, & pes superborum divitum, atque suaviter viventium, non moveat me.

Abac. 3.

Cadent enim ipsi, cum venerit dies illorum, & finis eorum sine honore. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo: qui factus est mihi exemplum paupertatis, humilitatis & patientiae.

CAP. II. *De tribus Tabernaculis, Christi, Moysis, & Heliae, seu trium virtutum, Humilitatis, Patientiae, Paupertatis.*

CONsiderans ergo praedictas virtutes, in te Domine, & in qui-